

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica Solennis De Termino Salutis
Humanae Peremptorio**

**Neumann, Johann Georg
Green, Georg Sigismund**

Vitembergae, 1700

§. X

urn:nbn:de:bsz:31-105555

XII. Idem apologia repetit, & addita quadam exegesi illustrat: *Lapsis post Baptismum contingere potest remissio peccatorum, quo- cunque tempore, & quotiescumque convertuntur. p. 161.* & Art. Smalcaldici: *Hec paenitentia in Christianis durat usque ad mor- tem, quia luctatur cum peccato residuo in carne per totam vitam* &c. p. 327. Quod si hoc fidei vinculum illibatum ac salvum esse vellent Novatores, vel ideo debebant ab his similibus- que naufragias abstinere.

§. X.

Ac I. quidem in limine impingunt, quod summum hoc tremendumque mysterium: de hominis Salute, modo ex conjecturis humanæ rationis dijudicent, quæ tamen in spiritualibus cœca omnino & stolida est: *I. Cor. II, 14.* modo ex Lege definiant, quæ & ipsa gratiam & salutem nostram ignorat: *Rom. X, 5, 6. Phil. 3, 9.* modo autem certitudinem salutis ex operibus hominum externis præsumant, in qvibus dignoscendis vel grandævum aliquando Sacerdotem cespitasse, constat, *I. Sam. 1, 13.* In primis autem observes, quod gratiæ & salutis nostræ causas non ex Evangelio revelato, quippe quod velut securitatis asylum, parcus tractandum censem; sed ex arcano abstrusoqve DEI consilio derivent, & in redubia ad hoc semper provocent: ad quod tamen Divus Apostolus ipse, velut ad *abyssum contremiscit ac pavet*, *Rom. XI, 32.* Singula hæc breviter ac nervose Formula Concordiæ comprehendit, atque instar cynosuræ proponit, in quæstione: *quomodo & unde cognosci possit, quinam sint electi?* Sic autem pergit: *De hac questione non judicandum ex rationis nostra sententia: sed neque ex Lege: neque ex ulla aliqua externa specie.* Et cavendum est, ne absconditam & occultissimam abyssum divina predestinationis perveстигare conemur. *Quin potius in re- velatam DEI voluntatem intueri nos oportet.* Et enim certos nos reddidit de mysterio sue voluntatis; idque ex arcano illo consilio suo

per Christum in lucem produci curavit, ut publice predicaretur.
Eph. 1, 9. 2. Tim. 1, 9. 10. Vid. p. 804. seq. Quod monitum si penisi
 habuissent Dissidentes; hos omnes scopulos facile erant
 evitaturi. Sic ergo libri Symbolici, aliquando contempto-
 res suos gravissime ulciscuntur.

§. XI.

Cæterum & illud II. undiquaque observes; officium
 Legis atque Evangelii ab utroqve Dissidentium non di-
 stingvi. Quæ adeo confusio, ut plurimos, per omnia se-
 cula, errores, sic monstruosissimum hunc terminum salutis
 peperit. Lex enim, uti constat, terret, iram operatur,
 maledictionem item, pœnasque temporales juxta ac æter-
 nas homini interminatur. Unde etiam *dianovia rō gavdys*,
 Apostolo dicitur 2. Cor. 3, 7. Et hanc quidem in dolem a pri-
 ma statim promulgatione habuit: ut prævaricatori singulis
 horis ac momentis, gratiam salutemque æternam adimat;
 dicente DEO: *Quocunq; die comedes de arbore vetita, morte
 morieris. Gen. 2, 17.* Jam illi nostri gratiæ divinæ osores, ora-
 cula Legalia coacervant, & quasi nullum Evangelium pro-
 mulgatum sit, aut certe potentiam salvandi amiserit, ex
 comminatione & fulmine Legis, terminum salutis ho-
 mini figunt. Quod si Legis vim exaggerare velint, & se-
 posito Evangelio, de hominis salute ferre sententiam; non
 erat, cur in adultam ætatem protenderent hunc salutis ter-
 minum; cum ipsius infantiæ & cuiusvis juventutis peccata
 mortem æternam mereantur. *Qui enim peccaverit in uno;
 in multis, leviter saltem offenderit, factus est omnium reus. Iac. 1, 10.*
 Et cur ex rigore Legis, non ponunt salutis terminum in
 ipso conceptionis momento? cum *in iniquitate conceptum;*
& in primo matris calore peccato se ingvinatum confiteatur, Re-
gius Propheta; ideoque projectum se a facie DEI agnoscit. Psalm.
51, 7. 13. Sed negat terminum hujusmodi fatalem Psaltes, ob
 mult-